



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De  
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex  
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniae Agr., 1599**

**VD16 ZV 2606**

Meditatio 51. De sepultura Christi D.N.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)



# MEDITATIO

QVINQVAGESIMAPRIMA.

EVANGELIVM.



**V**ENIT & Nicodemus, *Ioan. 19.* ferens mixturam myrrhæ & aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus. Erat autem in loco, vbi crucifixus est Iesus, hortus, & in horto monumentum nouum excisum in petra, in quo nōdum quisquam positus fuerat. Ibi ergo posuerunt Iesum. Et aduoluit Ioseph saxū magnum ad ostium monumenti.

FIGVRA.

**I**ONAS *Propheta in mare deie-* *Iona 2.*  
ctus, quem deglutiuit magnus piscis, in cuius ventre fuit tribus diebus & tribus noctibus.

S 3

Io-

*Gen. 50.*

*Ioseph in AEGYPTO mortuus, magno cum honore & aromatibus sepultus est.*

## PROPHETIÆ.

*Isaia. 11.*

**E** RIT sepulchrum eius gloriosum.

*Psal. 87.*

*Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in umbra mortis.*

*Tbren 3.*

*Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.*

## CONSIDERATIONES.

1. Punctū.

**C**ONSIDERA interim cum quiesceret corpus Filij in maternis brachijs, & cor matris in anima Filij, cum adesset tempus ut vngeretur & portaretur ad sepulturam; magnam compassionem quam habebant sancti discipuli, in separatione Filij à Matre. Unde, ex vna parte necessitas cogebat ad illum adorandum: ex altera parte inuitabat pietas, ut plangerent vnà cum Matre. Denique supplicibus verbis rogabant Matrem, ut permitteret illum vngi vnguento, & sepeliri. Verùm ipsa cum magna angustia respondebat, Vnguentum myrrhæ dilectus meus est mihi, ille inter vbera mea commorabitur: Atque vbi melius poterit quiescere, dulcis meus Filius, quam

quàm in suæ matris visceribus: Aut si alio in loco cum sepeliri velitis, sepeliteme vnà cum ipso. Igitur cum omnes lacrymis corpus Saluatoris irrigabāt, pretiosisque vnguentis vngebant, afflicta Mater sinu tenebat caput, atq; dum intueretur diuinam illam faciem, cicatrices, signaque plagarum, sanguinolentos oculos, spinarum dilacerationes, os illud dulcissimum felle & amaritudine plenum, tot in eodem temporis puncto, anima illius perfodiebatur gladijs, quot pœnas, vulnera, plagasq; tunc in lacerto Filij corpore cernebat.

Considera quanto cum pietate lacrymisque sancti illi viri, & deuotæ mulieres, in isto pietatis obsequio occuparentur, & attende, interim dum illi sacrum corpus vnunt, lauantque, pias Redemptor è contra illorū animas proprio sanguine lauabat, & pretioso caritatis liquore vngebat. O quàm beata fuisset anima mea, si tunc temporis fuisset digna inuenta, quæ cum ipsis potuisset vnge-  
re & sepelire corpus filij Dei! Verùm heu mihi, quoties Dominus meus, non mortuus, sed viuus; non passibilis, sed gloriosus, se in manus meas demittit, vt à me in cor suscipiatur: Et ego infelix non cognosco hoc ipsum, nec magnifacio,

facio, nec reputo pro beneficio vere singulari.

Compatiare alia ex parte desolatæ Matris, quando separari debebat à carò thesaurò suo, & videre sibi tolli ex brachijs. & sub lapide abscondi dilectum animæ suæ. Cogita quanta hæc fuerit pœna quam sentiebat, & quemadmodû sancti isti viri myrrha & vnguento unxerant, & sepulturæ mandauerant corpus Filij, ita Mater liquore oculorum suorum & extremi doloris amaritudine ungebatur, & eum in afflictissimû suum cor recondebat.

Contemplare hic quomodo cor B. Matris, ne in minimo quidem dissimile erat sepulchro illi, in quo fuerat Filius reclusus, nam sicut sepulchrum illud lapideum, acutis ferramentis excisum & excauatum erat, ita cor B. Virginis infinitis dolorû puncturis erat transfixum & concisum. Et sicut monumentum in horto positum erat: ita Virgo illa erat hortus ille, conclusus omni ex parte, quem intrare nunquam potuit inuidiosus ille serpens, multo minus veneno suo inficere. Erat hic hortus Mariæ refertus herbis odoriferis, sanctis celestibusque desiderijs: in hoc inueniebatur pulcherrimus ille flos campi, candidissima

diffima lilia conuallium, & iucundiffi- *Can. 2.*  
 mæ rosæ Iericho. Ibi pariter erat regius *Eccl. 24.*  
 ille flos radicis Iesse, supra quem requie- *Isaia 11.*  
 uit Spiritus Domini. Habebat etiam  
 mater illa sanctissima mundissimum il-  
 lud lintheum suæ innocentiae, & virginalis  
 integritatis, vt in eo corpus Domini  
 inuolueret, neq; deerat illi mærhæ ama-  
 ritudinē & aloē innumerabilium dolorū  
 angustiarumque; habebat similiter pre-  
 tiosum balsamum, odoriferaq; aromata  
 virtutum omnium, quibus condiebat,  
 & recondiebat corpus dilecti Filij sui in  
 sepulcrum animæ suæ.

Contemplare iam anima mea, quo-  
 modo dilectus tuus iaceat in hoc horto,  
 floribus circumdatus, vnguentisque in-  
 uolutus. Vide quomodo amore tui lan-  
 guens dicat: *Fulcite me floribus, stipate* *Cant. 2.*  
*me malis: quia amore lægueo.* Verè dulcif-  
 sime Domine, amore mei langues, quia  
 amor tuus in me, te ad mortē adduxit,  
 & lapidi supposuit: bene quidem potuit  
 mors terminare tuam vitam, verū in-  
 timo tuo amoris finem ponere non po-  
 tuit. In vita fortiter me amasti, post  
 mortem verò dulciter me amasti. Nam  
 in vita, in dolore & poena me peperisti,  
 cum amor tuus te desiderare fecit spi-  
 nas, clauos, opprobria & crucem ad redi-

mendam animam meam, verum post mortem posteaquam redemisti animam meam, dulciter me amas, quia desideras flores odoresque virtutum pro amoris tui refrigerio. Anima mea ad porta flores, ad porta odorifera dilecto tuo, ut amore tui langueat, ad porta charitatis rosas, viola humilitatis, lilia puritatis, & odores virtutum omnium: quia in his quiescit, his pascitur, his nutritur dulcissimi dilecti tui amor.

*Cant. 2.*

COLLOQVIVM.

**R**OGA B. V. ut paucillum myrrhæ illius tibi impetret, à Filio suo benedicto, quo sanctissimum illius corpus fuit conditum, ut possis cum cordis amaritudine deflere unam cum ista, dolorosam suam mortem & passionem; & postquam cognoveris, quanta pro te tuus redemptor sustinuit, ut tu similiter possis carnem tuam, & inordinatos affectus animi tui mortificare, eumque similiter ornare virtutum aromatibus, perfectionibus Christianis, ut Iesu suo Filio placeat venire, & requiescere in illo, sicut in horto odorifero.

DOCUMENTA.

1. **Q**VANDO accedimus ad sanctiss.

*dis. Sacramentum pura cōfessione mundemus cor nostrum, candidamq; reddamus sindonem conscientia nostra, in quam inuoluamus sacratissimū Christi corpus.*

2. *Imitemur paupertatem Christi, ut non desideremus nec queramus huius mundi diuitias, nec rerū proprietatem vllam, posteaquam quemadmodum natus est pauper & vixit pauper, sic moriens etiam voluit sepeliri in alieno sepulchro.*

3. *Curemus ut Christus dignetur habitare in nobis, ita ut cor nostrum sit nouum sepulchrum per nouam vitam, sit ex petra per firmitatem voluntatis in bono, sit concauum per humilitatem, mundum ab omni putredine malarū cogitationum & sensualium desideriorum.*

4. *Quando pretiosum Christi corpus suscipimus, ungamus compunctionis aloe, & myrrha intimi doloris amarissima sua passionis, & odore laudis & gratiarum actionis diuinae Maiestatis.*

5. *Christus voluit sepeliri cum aromatibus in sepulchro Iosephi hominis iusti: nō quiescit Iesus in foetidis cordibus peccatorum, sed in iustorum cordibus, qui suauissimum emittunt odorem virtutis.*

6. *Quando beneficio Dei gratiam eius accipimus, per quam Iesus in cordibus nostris habitat, occludere eam in nobis*



*debemus, petra firmi constantisq; propo-  
siti, nunquam eum offendendi, nec am-  
plius cor nostrum patere debet mundo, sed  
perseuerare debemus in sancto illius ser-  
uitio.*



## MEDITATIO

QVINQVAGESIMASECVNDA.

DE CVSTODIA SEPVL-  
chri Dominici.

EVANGELIVM.

*Marc. 15.  
Matt. 27.  
Luc. 23.*



**E**RANT autem Maria  
Magdalena & Maria  
Ioseph sedentes con-  
tra sepulchrum, &  
aspiciebant vbi po-  
neretur corpus Iesu. Similiter mu-  
lieres, quæ cum eò venerant de Ga-  
lilæa, viderunt monumentum, &  
quemadmodū positum erat corpus  
eius.